

imperii caligare videris et finem eius improvidus expectare. Sane cum Suevie dux Ph. propter impedimenta, que in litteris generalibus universis principibus destinatis nos meminimus expressisse, nec possit nec debeat ad imperii monarchiam pervenire iugiterque deficiat in se ipso et pars eius de die in diem amplius infirmetur, karissimus autem in Christo filius noster illustris rex Otto in Romanorum imperatorem electus vir sit industrius et idoneus ad imperium obtinendum, fiatque iugiter in se ipso robustior et roboretur cotidie regnum eius, non debueras incumbere tamdiu baculo arundineo, qui manum perforat innitentis, sed illi potius adherere columpne, que in petre soliditate firmata nec pluviarum imbres nec impetus fluminum aut ventorum formidabit impulsus. Cum enim dominus, quod de ipsius regis promotione disposuerat, ab eterno iam inceperit temporaliter explicare ac bene placitum suum certis ex quadam parte indicium revelarit, cuiusdam fatuitatis est species divine velle dispositioni resistere ac eius omnipotentie obviare. Ecquid igitur expectas adhuc et non prevenis in benedictione dulcedinis regem ipsum ut, cum coronam acceperit de lapide pretioso, circa te regie benivolentie dona diffundat et magnifice inter se honorantes honoret? Siquidem prudentiam tuam non credimus ignorare, quod si ultimus ad fidelitatem eius venire volueris et post ceteros eius gratiam obtinere aut nullum aut difficilem invenies ad ipsum accessum, nec volet forsitan te rogatus recipere, quem tu non recipis, cum rogaris; audisse namque te credimus ex evangelica lectione, quod virgines, que tunc tandem oleum emere voluerunt, cum sponso fuerat occurrendum, quia cum aliis intransibilibus ad nuptias non intrarunt, ‚nescio vos‘ audire meruerint novissime venientes et clausa ianua omnis eis fuerit preclusus ingressus. Ne igitur nobilitati tue simile sic contingat, monemus et exhortamur attentius, consulimus et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus omni mora et difficultate cessante ad eiusdem regis fidelitatem accedas et sic eius obsequiis te addicas, ut dilationem temporis fideli auxilio redimas et devotionis constantia more dispendia recompenses, sciturus, quod si nunc saltem audias et exaudias vocem nostram et consiliis acquiescas, apud regem ipsum interponeremus efficaciter partes nostras, ut te in gratiam regalem admittat et inter eos, qui ei a principio astiterunt, honoret. Datum Anagnie ii. id. decembris.

In eundem modum B. duci Ceringie. In eundem modum duci Moravie. In eundem modum comiti Barensi. In eundem modum duci Austrie. In eundem modum duci Bavarie.

In eundem modum marchioni Orientali.

76.

König Otto IV. schreibt dem Papste Innocenz III., daß seine Lage von Tag zu Tag besser werde, verdankt denselben, daß sein Bemühen den König von Böhmen, den Landgrafen von Thüringen, den Markgrafen von Mähren ihm gewonnen habe, meldet, daß er am Donnerstag vor Martini einen zahlreich besuchten Hofstag gehalten habe, dessen geheime Beschlüsse der Ueberbringer, sein Kleriker II. von Aglei, melden werde u. a.

1203 [Dez.].

Hdschr.: Reg. No. 6 fol. 26^{ab} No. 105 Vatikan. Archiv.

Gedr.: Baluze, Ep. Innocentii III. 1,735; ed. Migne 3,1108. Böhmer-Ficker 230.

Anm.: Da die im Päpstlichen Register folgende Antwort des Papstes vom 25. Jan. 1204 (Böhmer-Ficker 5877) ist, so wird dieser Brief in den Dezember gehören.